

III.

NEOVIDENSIS

Nro 26. (Neovidensis Nro 49.)

---

Ut præsentē mortuorum disputatione de  
rebus politicis

*Viventes potirentur,*

*Herculi superandus erat Cerberus.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 29 Junii 1804. (Neov. 15 Junii.)

---

Salus populi!

Suprema lex esto.

*Tessera status.*

Dialogus

*Dubajetum inter, & Pethionem.*

*Dubajet.* Nisi me omnia fallunt, videre mihi videor terribilem Pethionem.

*Pethion.* Recte vides, ego sum ille infelix Pethion.

*Dubajet.* Mihi gratulor, te coram adesse. Quid judicas de factis, quæ modo in Patria nostra eveniunt?

*Pethion.* Judico, immo convictus assero, tandem longam experientiam de omnibus novis systematibus victoriam retulisse.

*Dubajet.* Hanc confessionem non expectaveram a Pethione. Sed experientia est sapientiæ magistra.

*Pethion.* Nos intra breve tempus transivimus omnes possibilium imperii formarum periodos, & si fuisset novus inexpertus populus, forte quælibet assumpta imperandi methodus nobis arrisisset. Imitandos nobis proposuimus Romanos, dum adhuc novi erant, & parum experti, videlicet post ejectionem Tarquinium. Sed recte ibi incepimus, ubi Romani desierunt. Nostri mores, noster luxus, nostra cultura jam tunc poterat cum temporibus Augustorum comparari, quis autem fuisset ausus sub Cæsaribus Romæ Democratiam prædicare? Hæc ego in mundo superiore identidem mecum reputabam, sed quis ad ista proferenda satis animorum habuisset? Torrens stultissimarum factionum inundavit omnia; factio factionem trusit; in tali rerum perturbatione adjeci animum factioni Brissotinorum; hæc periit, & ego cum illa.

*Dubajet.* Hanc animi sinceritatem deprobat Pethion in campis tantum elysiis, olim alius fuisti.

*Pethion.* Quis fuisset ausus in medio carnificum aperte loqui?

*Dubajet.* Sed ad rem: Plane non miror, in Patria nostra institutam esse Imperatoriam dignitatem. Suprema nomenclatio congruit magnæ nationi. Populus, qui ita est comparatus, ut ad sui conservationem, & amplificationem debeat militem intertenere, & bella gerere, idem habet expectandum, quod accidit Romæ temporibus Julii Cæsaris. Fortunatus Dux, vel ut Volterus ait, felix miles

erit Rex. In omnibus regnis supremi belli Duces imperium sunt adepti. Hoc principium fundatur in jure fortioris; qui enim exercitus ducit, fortissimus omnium est in unaquaque civitate. Julius Cæsar qua belli Dux superavit fortitudine senatum.

*Pethion.* Porro necessarius erat adventus fortioris ipsis conturbatis, & in partes scissis Gallis, qui concordiam reduceret, effræ-natas cupiditates reprimeret, & omnes seditio-nes componeret. Status publicus egebat servatore, ut ordo rerum, & quædam poli-tica moralitas observetur. Hanc ob causam oportebat ad priores institutiones, ad prio-rem experientiam, ad priora quietis remedia regredi. Decem annorum temulentia quem-libet recte cogitantem abunde docuit, a po-pulo omnibus vitæ socialis vinculis soluto ni-hil boni, nihil salutaris, nihil tranquilli posse sperari. Nova facta sunt experimenta ad mo-rem veterem subruendum, sed ex ipsis tenta-minibus satis, superque apparuit, reducen-dum esse usum antiquum, ut pax habeatur.

*Dubajet.* Verum quid tibi videtur de hæ-reditaria successione, quid de nova Dynastia?

*Pethion.* Secundum omnem possibilem ex-perientiam in cunctis magnis imperiis, quæ inde a Patriarcha Abrahamo usque ad nostra tempora extiterunt, oportet Imperantem civi-lem esse hæreditarium. Inter duo mala mi-nus est eligendum. Sæpe quidem evenit, ut quispiam optime meritorum putet se melius gu-bernaturum rempublicam illo, cui tanquam

hæreditario morem gerit, at hæc opinio plerumque ortum habet ex arrogantia, & ignorantia artis regnandi, quæ non ita facilis est, uti passim creditur, præsertim in perturbatis rerum circumstantiis. Quando ubique pax, & debitus ordo viget, omnia sponte sua bene decurrunt. Ast occurrunt adjuncta, in quibus prudentia, & usu rerum est opus, ut respublica conservetur. Hæreditarius Princeps his omnibus jam a pueritia imbuatur, & etiamsi forte aliquando rerum nonnullarum notitia, & experientia careret, semper tamen ejus lateri assistunt sapientissimi nationis. In omni bene ordinata Monarchia dantur Repræsentantes populum, qui ordines, vel Parla-menta, vel juxta recentem Gallorum denominationem conservatores Senatores appellantur. Non solus Imperans est intentus bono communi, sed quodlibet nationis membrum, & potissimum illi, qui suis dotibus, atque perspicacia ita se distinxerunt, ut ad subsellia Ministrorum eveherentur.

*Dubajet.* Te profecto fortunata mortuorum nemora sapientem, & prudentem reddiderunt. Sed jam expone, quæso, quid fuerint respublicæ Græcorum.

*Petition.* Erant exigua territoria, Helvetia, Hollandia, Genua, Marinum possunt carere hæreditario Imperante, sunt parvi status, qui in Gentium controversiis nullum peculiare pondus habent. Aliter se res habet cum magnis Imperiis.

*Dubajet.* Tu ergo, quantum colligo, anteponis civitates successivas electivis?

*Pethion.* Absque omni dubio. Veritatem hanc Historiæ apertissime demonstrant. Si Julius Cæsar, aut Octavius Imperatoriam dignitatem in sua familia hæreditariam effecisset, forte Roma hodie adhuc dominaretur orbi universo. Si Poloni, qui suam civitatem Rempublicam nominabant, supremum tamen caput, Regem electione creabant, regnum suum electivum in successivum convertissent, non fuissent occasione cujuslibet electionis accerrimis motibus, & factionibus oppressi. Potuissent vires, quas dissipaverunt, in sui conservationem, & forsitan etiam in faciendas accessiones impendere. Regnum Poloniæ modo rebus septemtrionalibus non leve adderet momentum. A quo tempore successio domus Hispanicæ interrupta est, cecidit politica Hispanicæ auctoritas.

*Dubajet.* Quanta immutatio in Pethione furioso quondam propugnatore Democratix!

*Pethion.* Revolutio non uni veras rerum ideas excussit; hoc mihi accidit, & pluribus aliis. Si enim tunc libuisset recta principia spargere, quo ego, quo tu devenissemus? Interim verissimum illud, & velut ex oraculo Delphico editum existima: Regnum electivum esse theatrum formidabilium seditio- num. Dum etenim unicuique via patet ad imperium, iste per factiones, ille vi, alius sexcentis diversis modis conatur ad thronum eluctari, quo malo majus cives habere nequeunt.

Talis civitas in se divisa excitat attentionem aliarum gentium, quæ nunquam intermittunt ex motibus intestinis alicujus Provinciæ suum trahere emolumentum. Præterea factiosi libenter implorant auxilium exterarum Aularum, ut eò facilius obtineant propositum finem, fortioresque evadant contra cupidos dominandi. Jus hæreditarium succedendi in imperio præcidit omnes hujus generis turbas, removetque a populo calamitates, quæ inde oriri solent. Tunc potest Status absque rerum confusione, & internis turbis, suum unicuique verum finem, puta, sui conservationem, amplitudinem, & felicitatem populi promovere.

*Dubajet.* Recte assecutus es meam sententiam; in signum amicitix cedo manum.

*Pethion.* Gaudeo me tuis principiis imbutum esse. „Sunt nonnulla principia in vivis „infesta, quæ post mortem, ubi ad maturitatem pervenerint, conciliantur, si fontes, „ex quibus promanant, perpurgentur. „

---

*B i o g r a p h i a.*

Dubajet (Albertus) Gallicus Legatus Constantinopoli, in juventute dedit nomen militix, & A. 1780 in bello Americano qua Locumtenens stipendia meruit. Orta revolutione adhæsit Aulæ, & A. 1789 edidit opus contra Judæos. Paulo post transiit ad partes Novatorum, A. 1791 Mense Septembri factus est in Isarensi administratione Præses communitatis electivæ, a qua in munere legati missus erat ad corpus Legislativum. Qua Præses in

diversis magni momenti occasionibus prodidit acre iudicium, inter cætera fuit auctor Decreti, vi cuius declarabatur Matrimonium esse tantum contractus civilis, qui possit dissolvi. A. 1792 renunciatus est præfectus belli, in qua dignitate A. 1793 Moguntiam tutabatur. Hac urbe capta fuit quidem carceri mancipatus, sed etiam brevi pristinae libertati assertus. A. 1794 præfuit exercitui Mosellano. Tandem cum milite præsidario Moguntino missus abiit ad terram Vendeam, ubi ad Clissonem pene internecone deletus fuit, amisit enim suorum 8 millia, totum apparatus bellicum, & rem tormentariam. Multo felicior fuit in tractanda pace, quam armis; in hac enim infelici Provincia, temetsi fuerit indolis fervidae, omnia & humaniter, & apte confecit. A. 1795 Præfecturam gessit maritimæ militiæ ad Cæsaris Burgum, & initio sequentis anni Minister bellicus creatus est. Verum post unum mensem ut legatus profectus est ad Portam Ottomanicam, quo eum comitabantur & multi officiales, eo fine ut turcica servitia assumerent, & integra legio equis devehens rem tormentariam, quam tamen Imperator turcarum paulo post amandavit. Illico omnem lapidem movit, ut in iura legatorum Gallicorum introduceretur, præsertim in illud, quo illis incumbit defendere Ecclesias Catholicorum, Constantinopoli, & in terris Orientis existentes. Usus ille est hoc jure sed in eum duntaxat finem, ut plurimas Ecclesias in contubernia militum commutaret,

illisque suos milites illocaret. Quo tempore collatum ei fuit munus supremi belli ducis; in rerum Gallicarum apud Aulam Turcicam procuratione nihil diligentiae prætermisit, at maligna febris correptus A. 1797 die 17. Decembris vivere desiit, formæ imperii Democraticæ longe addictissimus.

Pethion de villa nova (Hieronymus) primum Advocatus, deinde Præfectus urbi Parisinæ, Carnuto oriundus, durante revolutione facile crudelissimus. Præcipitato Baillo in præpotente tunc temporis Conventu Parisino occupavit primum locum, in qua statione omni ope in hoc elaboravit, ut Regem, aliosque innocentes neci daret. Ille cum Santero, Dantone, Robespierio, & reliquis nefariis produxit horrificas scenas, quæ 10. Augusti, & 2. Septembris contigere. Hæc posterior dies fuit pro communi cæde Parisiis destinata, effracti sunt carcères, & omnes ibi inventi potissimum probi cives, & Constitutioni adhærentes, numero 8 millia, concisi, & dilaniati. Postquam nationale concilium declaravit, alium conventum esse convocandum, aliquo adhuc tempore in novo Senatu magna fuit Pethionis, ejusque sociorum autoritas, sed deinde præponderanti factioni, Mons dictæ, cedere debuit, immo seditione adversus Girondistas, & Brissotinos concitata salutem in fuga quærere. Secundum factam Conventui significationem A. 1795 prope Burdigalam a canibus dilaceratus, repertus est.

---